



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Societatis Iesv Pars ...

Pars Prima Sive Ignativs

Orlandini, Nicola

Antverpiae, 1620

Cuius sit auctoritatis, quod in B Caietani Thienaei vita de B. Ignatio traditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13935

Cuius sit auctoritatis, quod in B. Caietani Thienæi vita de B. Ignatio traditur.



IOANNES Baptista Castaldus Clericus Regularis è venerabili Ordine, quem Theatinorum vocant, in Beati Caietani Thienæi vita non multis ab hinc annis prodidit Beatum Ignatium Societatis nostræ Parentem anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto, Venerijs dum socios Lutetia præstolaretur, à Beato Caietano Theatinorum præcipuo conditore instituisse, vt in illum se Ordinem reciperet. Sed Caietanum, postquam consulisset precibus Deum, sine dubitatione respondisse, è maiore Dei gloria fore, si nouam ipse condidisset familiam, actuosiore, quæ totam se in auxilia proximorum impenderet. Ea narratio eùm planè noua & inopinata post tot annos, tamque multos rerum eiusmodi scriptores accidisset, quid ego de ea sentirem, quandoquidem omnem à primis incunabulis ad hanc vsque diem Societatis nostræ memoriam cum attentione curaque scrutatus essem, multi ex me sapiùs quæsiuerunt. Quibus ita respondi, vt sibi non mediocriter satisfactum declararent. Nihil tamen existimabam scripto vulgandum, confidens in Historia Societatis adeò coherenter seriem vitæ Beati Patris, adeoque plenè & clarè descriptam esse, vt veritas inde per sese sine styli ope elucere posset. Iam verò, vt hoc etiam loco sententiam explicem meam, postulat ex me veritatis eiusdem sanctitas, cui patrocinium pro sua quisque virili omnes debemus. Nam de auctoritate eius Historiæ ita iam non sermionibus modò, sed editis quoque pro vtraque parte commentarijs disceptatur, periculum vt sit, ne, dum ad firmandam vnius, vel infirmandam nouæ auditionis fidem, argumenta ex coniecturis petuntur, multarum auctoritas historiarum veterum, quas omnino certas immotalsque esse par est, pariter conuellatur. Ad hæc opus Patris Orlandini eùm ipse, auctore præmortuo, recognouerim, ratio officij postulat, tum vt eius fidem curamque, tum vt meam vindicem: ne mirum cuiquam aut suspiciosum videatur, quòd illius facti muta prorsus memoria apud nos, altumque silentium vbique in nostris sit monumentis.

Porro, quamquam de cætero tenuitatem meam neque ignoro, neque inficior, tamen in hac controuersia videor mihi posse haud temere profiteri satis me idoneum censerem testem debere. Agitur enim de re, quæ maximè antiquis è codicibus & schedis pendet, in quibus per annos plus quindecim diligentia, quantà maxima non illaborioso homini fas fuit, assidue versatus sum: & naclus sum tabularium sanè quàm luculentum, isque potissimum instructum litteris, quibus Societatis, & Beati Patris initia fideliter & copiosè explicata conseruantur. Quòd si, quæ dixero, eo accipientur animo, quo ex me proficiscuntur, fiet spero, quod maximè optabile est, vt vtraque disceptantium inter se partium vicisse se putet, quia veritas, pro qua vtraque dimicat, superabit.

Nec verò quam illibatam mihi velim, vllò modo delibatum Castaldo siue in inquirendo sagacitatem, siue in explicando fidem. Itaque pro certo ponatur, quæ ille prodidit, ea nequaquam ex ingenio commentum esse. Non enim indiget Deus ad Beatorum gloriam figmentis humanis, nec fraus modica censeretur talia mendaciter fabulari. Arcet igitur eùm rei grauitas, tum viri virtus atque professio omnem ab eo architectatæ vltro fabulæ suspensionem. Ac ne illud quidem simile vero est, eam rem à quopiam accepisse, qui prudens eam sciensque fallendi studio consarcinaret. Nam nec facilè apparet, quid cuiquam venire in mentem potuerit, quare comminiscendum id sibi rumoris existimaret: & scriptoris est accuratè non rerum modò pondus examinare, sed auctorum quoque grauitatem ponderare. His positis duo mihi præstanda video. Primum expendendum, illa Castaldi

narratio quanta fide digna sit: Deinde inuestigandum vnde nam orta opinio in eam speciem sensim coaluerit.

Principio igitur, certum omnino indubitatumque habendum cenfeo, nequam ita voluisse Beatum Ignatium sancti Nicolai Religiosis adiungi, vt suos quos Parisijs expectabat, socios desertos vellet. Quod vt planissimè intelligatur, satis est memoria repetere, & cogitationi subijcere quis Ignatius, & qui status rerum eius esset eo tempore. Sunt enim hominum quidam gnauis magis, iisdemque tractabiles ad exequenda, quæ doceantur, accommodati: alij verò solertes & acres ad excogitandas tradendasque rerum agendarum vias siue ingenio atque natura, siue diuinitus quasi facti. Ex hoc erat genere Ignatius, plenus considerationis atque consilij: continenter obseruans, & prudentissimè notans itinera ad Christianam perfectionem. Est hoc manifestum ex eo, quòd nunquam discipulus, statim magister diuina manu formatus, inijs & progressionibus suis sagaciter obseruatis, & in præceptiones quasdam relatis, quæ spiritualia Exercitia nuncupauit, protinus instituit ex ijs quemcumque capacem deprehenderet, erudire. Et postea Societatem editurus planè nouam regulam excogitauit, tamque multis atque aptis munitis legibus condidit. Eiusdem cum alijs virtutes, tum constantia fuit propè mirabilis. Itaque cum à principio statuisset, quo Dei gloria cumulatius inferuaret, præsidia sibi doctrinæ, & sociorum auxilia comparare, in vtramque rem tamdiu, tamque perseueranter incubuit, vt supra non modò vires, sed etiam prudentiam humanam cuius rectè consideranti, necesse sit videri; & planum fiat, diuina quadam & sapientia & virtute ductum simul atque corroboratum fuisse. Is cum esset Ignatius & natura, & institutione diuina, qua tempestate Castaldus dicit voluisse ad Beatum Caietanum accedere, nequaquam in primordijs versabatur suæ ad Deum conuersionis, cum degenda vitæ consilia capiuntur; sed iam sextus decimus agebatur annus, ex quo totum se ad perfectæ virtutis exercitationem contulerat. Annum autem agebat ætatis sextum & quadragesimum. Sexdecim verò illos annos ita in suæ perfectionis conatu peregerat, vt simul ad excolendos alios omni ope conueneretur: atque ob eam rem in doctrinarum studijs, & adiutorum conuisione longissimum illud tot annorum spatium posuisset. Sub initia quidem incidit cogitatio in Religiosorum aliquem sese Ordinem immittendi, sed laxioris disciplinæ atque collapsæ, vt restitueret. Iam tum enim ad magisterium vocabatur. Sed breui cogitationem illam deposuit, sua ratus consilia quàm plurimos adiuuandi, facilius processura, si socios sibi integros, quorumque mores nullam in partem induruisent, quos ad suam voluntatem fingeret, conquisisset. Quod simul atque decreuit, continuò aliquos in Hispania sibi conciliauit; itaque habebat addictos, vt vestium quoque eodem omnes habitu vterentur: alios deinde, atque alios Parisijs ferè per octennium, quod in studijs ibi consumpsit, aggregauit: ex quibus tandem lectissimam manum, cum ad vouendam Deo paupertatem, & peregrinationem Hierosolymitanam, & ad Euangelium prædicandum, & suam operam Summo Pontifici dedicandam compulisset: eosque summa solertia, ac diuturnis laboribus continuisset, prouexisset, confirmasset; iamque votorum exequendorum causa ad omnia derelinquenda, & periculosissimum atque difficillimum iter suscipiendum induxisset, eos data fide Venetijs opperiebatur, cum dicit Castaldus egisse cum Caietano, vt Theatinum fieri se pateretur. Quis autem credat cadere in constantis animi virum potuisse, vt præstantissimos iuuenes pietate iuxta & doctrina, & ingenijs, & industria, & caritate inter se miros, quos tanto labore sibi conciliauerat, tantæque felicitate per annos multos excoluerat, cum quibus denique societatem quamdam communibus sancitam votis inierat; post tot eorum labores in studijs, post abdicatas facultates, & maximarum abruptas spes dignitatum, ita repente infalutatos, & penè proditos relinqueret? Esset profectò hoc suspicari non modò de Ignatio, sed mediocri quouis homine ab omni ratione prorsus alienum. Constat præterea eo ipso tempore Ignatium, dum Parisienses socios Venetijs expectat, nouis ibidem venandis sedulo institisse: Stephanumque & Iacobum Eguias, itemque Hozium sibi adiunxisse. Nunquid igitur veteres, adeoque perspectos & eximios abiiceret, dum conquirat nouos? Num in alienam sese abdere familiam

liam

liam moliretur, dum amplificandæ sic studet suæ: Refugit hoc cogitare sana mens: & R. D. Castaldus in epistola, qua narrationem suam defendit, non obscure fateatur absurdum esse: & ait fortasse Ignatium vnâ cum socijs ad Caietanum se conferre voluisse.

Hoc verò aliquanto minus à probabilitate abest, tamen & ipsum abest longissimè. Nam vel postulare, vel apud animum suum statuere Religiosum in Ordinem cooptari cum socijs, quorum voluntates ignores, antequam eos consulas, aut admoncas, & in Ordinem ipsdem prorsus ignotum, cuius tandem prudentia est? Plerique eorum, & (excepto Ignatio) fortasse omnes (sic enim disertè Lainius scriptum reliquit) nullam dum susceperant illigandi sese Religiosis votis cogitationem. Negotium est tale Religiosa professio, quod quisque per sese consideret, per seque decernat necesse est: de alio quidquid polliceare, temere pollicearis. Quid, si nouum consilium socij improbassent: Num dirempturus erat vitam cum eis Societatem Ignatius, & recentibus sodalibus adhæsurus? Num omnia sibi polliceri de voluntatibus eorum poterat: Non, opinor, in re tam graui tantum sibi vnquam assumpsisset. Nam (vt grauius nihil dicatur) id fuisse obsequentissimorum amicorum humanitate parum humaniter ac ciuilitè uti. Temere etiam frustra que assumpsisset de tam multis, tamque diuersarum nationum hominibus. Etenim qui postea diu deliberarunt, nec sine contentione aliqua consenserunt, vt Religiosis votis obstringi se paterentur in disciplinam, quam primam hausserant, cui per multos annos assueuerant, quam rebus cæteris extra vota iam sectabantur, nunquid tum in diuino seruitio crudiores vitæ genere alieno, planeque sibi nouo obligari vellent? Denique quid prohiberet differre postulationem in aduentum eorum, quò grauiissima deliberatio communibus exequenda studijs, communibus susciperetur consilijs? Omnia certè ita faciendum prudenti modestoque viro docent fuisse. Nec in expectatione quidquam difficultatis apparet, nisi dubitatio atque formido, ne fortè non consentirent, sibi que præsentibus obstarent. Atqui hæc ipsa suspicio non solum egregiè morato, sed etiam prudentissimo viro manum injicere debuisset, & sustinere, ne præfestinaret. Alioquin, idcirco qui properat, ne reuocetur, non præt, sed fugit: certumque habet deserere, quos desperat adducere.

Deinde tamen non satis alioqui firmum est argumentum, cum quid ideo negatur esse, quòd ab auctore non traditur, à quo tradi deberet; in hac tamen causa, qui verè velit existimare, planè firmum censebit. Nam initia Societatis, resque Venetijs à Beato Patre gestas socij eius Lainius, & Simon Rodericus in commentarijs retulerunt: nec pauca notauit Faber. Ad hæc ipsemet Beatus Pater biennio antequam migraret è vita, Patrum flagitatu adactus, meditatè & accuratè exposuit Ludouico Consaluiò. Præterea qui familiariter cum Beato Patre agebant, nullam prætermittebant occasionem aliquid expiscandi ex his, quæ sacro illo in pectore condebantur: & quidquid ex ore sancti Patris excideret, studiosissimè colligebant, & litteris consignabant, & in familiari congressu, atque etiam in sermonibus publicis inter domesticas exhortationes per Societatem spargebāt. Quod præter cæteros, tres viri religione simul & prudentia sine dubitatione maximi, is, quem dixi Consaluius, Hieronymus Natalis, & Ioannes Polancus diligentissimè præstiterunt, vt nihil de Petro Ribadeneira dicam. Et tamen nulla vsquam mentio inuenitur obiectæ Ignatio eius cogitationis, nulla vocis Caietani, qui dixerit, præstabilius fore, & gloriosius Deo, si nouam familiam condidisset. Quod certè non erat cur Beatus Pater silentio premeret, cum id non tantum ad eius laudem, quam ad excitandos & confirmandos Socios pertineret. Hæc ita cum sint, rebus vndique circumspèctis, omnino certum mihi videtur, si, quod tradit Castaldus, re ipsa accidisset, nequaquam futurum fuisse siue vt Ignatius tam longo tempore, totque occasionibus oblatis nunquam expromeret; siue vt, si is aliquando promississet, inter tot obseruantes nemo exciperet, adeò vt ne tenue quidem eius vestigium cuncta in Societate siue in senum memoria, siue in membranis, minus utique obliuiosis, resideret. Quæ ratio cum satis per se valida sit, rationibus tamen adiuncta, quas paulò antè ex ipsa re sumplimus, nullum mea quidem sententia dubitandi locum relinquit.

Hæc verò omnia ex eo magnopere confirmantur, quòd iam pridem genus disciplinae haud modicè diuersum B. Pater meditabatur; & inde vsque à Manresano secessu collustrata diuinitus mente Societatis speciem comprehenderat. Quod ipsemet postea, quanquam de cætero sagacissimus diuinorum munerum occultator, fati ostendit. Nam & Lainio asserenti Religiosorum Ordinum Fundatoribus præcipua quæque ad eos spectantia à Deo demonstrari, affirmatè assensit: & Ludouico Consaluio, cum inter se de propria Societatis institutorum ratione differerent, sic singulorum causas exposuit, vt ad extremum summam omnium in Manresanum secessum conferret. Quod non semel factum, sed vsitatum fuisse B. Patri Natalis in suis ad Constitutiones Scholijs narrat his verbis: Cùm de instituti ratione ne rogaretur, solebat causam referre ad eximiam illam mentis illustrationem, quam ipsi Deus gratificatus est Manresæ, quasi illic omnia accepisset à Domino, quasi in spiritu quodam sapientiæ architectonico. Quibus ex Historijs extra omnem controuersiam positis, ratio talis efficitur. Confitetur Ignatius, quæ ad Religionum naturam pertinent, ea Fundatores à Deo prædiscere; igitur & se prædidicisse ab eodem fatetur. Atqui suorum institutorum rationes in Manresanum refert secessum, igitur multò antè, hoc est annis ferè quindecim, quàm regulares S. Nicolai Clericos cognouisset, diuinitus instituta illa didicerat. Cui rationi nihil equidè opponi posse video, nisi quis subtiliter cauilletur, quoddam Societatis rudimentum, non ipsam Societatem, nec Religiosi Ordinis condendi consilium eo tempore Ignatij menti in se disse: at illud certè euidenter concluditur, iam tum prima illius semina, & præcipua instituta, ad quæ & sibi & socijs, quos colligeret, vitam accommodandam duceret, animo comprehensa habuisse. Ea verò erant, quæ meditationibus duabus Exercitationum spiritualium, quarum alteri de regno Christi, alteri de duobus vexillis est titulus, continentur. Ex his enim Societas procreata est, easque in eodem conditas Manresano secessu constat. Summa autem illa erat, quam conceptis votis ad Parisios explicarunt in Monte Martyrum, In proximorum adiumenta cunctis opibus incumbere: Militare Christo: Regnum eius amplificare etiam inter Barbaros, ac nominatim in Palæstina: Summo Pontifici in hoc opus operam dicare suam, & ab eius nutu pendere. Vnde Missiones, quas vocamus, vnde quartum Professorum votum, & ipsa demum, prout ab alijs Ordinibus differt, Societas efflorescit. Hęc igitur forma tot annos Ignatij menti cùm inheisset, ex eaque vitam suam instituisset, ad eandem socios conformasset, & votorum nexibus constrinxisset, denique ipsis quoque iam felicibus experimentis eandem approbari videret; atque ex altera parte in ijs S. Nicolai Patribus contraria videret omnia; siquidem in ijs, vt Castaldus ait, solitudinis vigeat amor; quis credat eam formam ita repenti abolitam & commutatam, vt in aliam faciem tota transfiguraretur? vt, qui modò vniuersum orbem terrarum excursionibus obeundis caritate complexus erat, angustis iam se septis includeret: & qui expeditus præstò esse voluerat ad omnes Pontificum nutus, iam odæo, quod Patribus ijsdem semper antiquissimum fuit, mallet affigi? Non ita profectò est: sed adeò sensibus, imisque fixam, vt ita dicam, medullis Societatem gerebat, vt & ipsum nomen iam promptum haberet. Itaque anno proximo cùm Venetijs digrederentur, inter omnes Socios, Ignatio auctore, conuenit, vt quærentibus quod genus hominum essent, responderent de Societate Iesu se esse. Quod nomen ita postea idem dilexit semper ac propugnauit, vt nemini Patrum veterum dubium fuerit, quin præstantiore illud, quàm humano sensu legisset. Cùm autem iam ante oblatum appropinquanti ad Urbem visum, vt modò diximus, illud placuisset, haud temere conijcitur, quemadmodum totam Societatis fabricam, ita nomen ipsum è Manresanis luminibus deportatum.

Sed & aliquid dicamus de Exercitationibus spiritus. Ex illis quantus quantus fuit, totus processit Ignatius. Per eas conuocauit socios, & Societatem instituitis & moribus temperauit. Easdem Societati, vt telum diuinæ laudis acerrimum commendatas reliquit. Eas inter summa votorum cupijt Apostolica auctoritate comprobatas videre, & vidit. Per eas magnopere apud omnes, & apud præstantissima quæque ingenia maximè profecit. Et hoc ipso tempore, quo dicitur voluisse Theatinis adnumerari, per easdem & Socios tres, quos supra diximus,

mus,

mus, aggregavit sibi, & alijs excolendis studiosissimè insistebat. Denique bone lector (si quem cognoscendæ penitus huius causæ cura tangit) quæso, perlege in Historijs nostris quam indidem Venetijs huius ipsius, de quo disputamus, temporis tractu ad Confessarium olim suum de illis scripsit epistolam; & animadverte quo loco eas apud animum suum haberet. Quæro igitur, eas præceptiones earumque usum secum inuehere cogitabat novum in Ordinem, an deserere & abdicare paratus erat? Enimvero ut deserere vellet, cadere nequit in cogitationem hominis sapientis. Quid enim certius exploratiusque B. Patri divinæ gloriæ studiosissimo venatori, quàm illas esse efficacissimas tanti operis administras, & cælesti sibi lumine demonstratas? Neque alterum dici potest. Nam Religiosi petitor Ordinis in primis necesse est nequaquam sit addictus opinionibus & moribus suis. Quippe docendus, non docturus accedit. Aliter, suam perdet, alienam turbabit tranquillitatem. Nihil odiosius novatore, eoque adventitio. Atqui quocunque Beatus Pater cum Exercitijs suis accederet, non discipulus, sed magister adiret. Vno verbo: ubicunque Ignatius cum illo esset libello, ibi Societas Iesu esset. Quòd si certum atque perspicuum videtur, neque cum illis, neque sine illis Exercitationibus potuisse alienam suscipere disciplinam, consequens aperte est de ea suscipienda nunquam egisse.

Ad hæc potissima argumenta accedit prædictio edita Petro Quadrato in Belgis, Collegij olim seu domicilij Societatis ab eo Methymnæ condendi. Cui prædictioni, cum auctoribus multis prodatur, videat quàm iustè abroget fidem, qui sibi postulet. Ribadeneira quidem in Vita Ignatij breviori eam posuit, & tamen iuratus asseruit nihil se scire, siue in eo, siue in alijs suis de Ignatio libris falsum inesse. Adde, quòd Ignatij ea tempestate sanctitas, & vitæ actio eiusmodi erat, ut sagaciores homines quid effecturus esset, & animo præviderent, & voce prædicarent. Nam inter eas ipsas excursiones, quas ad colligendam è mercatoribus stipem primis annis Lutetianæ commorationis obibat, Brugas cum aliquando venisset, vocatus est ad conuiuium à Ludouico Viue homine claræ eruditionis ac famæ. Postque conuiuium Viues de eo sodalibus, sanctum hominem esse dixit, & Religiosum quempiam Ordinem haud dubiè conditurum. Quod aliqui mox auditorum ipsi Ignatio retulerunt; & ab Ignatio certa causâ proditum Ioannes Polancus scriptum reliquit. Cui ergo mirum videatur id Ignatium de Quadrato Dei monitu prædixisse, quod Viues de Ignatio ipso sola, ut reor, coniectura est affecturus? Dubitemus autem utrùm auctor multis post annis, cum esset Venetijs, Religione iam propè condita, de condenda cogitaret, cum homines aliarum magis, quàm piarum rerum intelligentes tam multis antè annis condendam præfagirent. Solebat Bobadilla assumptæ in cælum Deiparæ diem Natalem vocare Societatis, quòd eo primùm die in Monte Martyrum primi Socij prima vota suscepissent. Quod quanquam, (ut supra est demonstratum) si sociorum animi spectentur, qui de perpetua in posteros transmittenda familia nihil dum cogitabant, piè magis, quàm exactè dicitur; tamen, quòd ad Ignatium pertinet, procul dubio magnum eo die fundamentum iecit operis, quòd iam diu moliebatur.

Nec verò hæc eò disputantur, quòd condendam Societatem prævidere Caietanus nequiuerit, tanquam iam condita esset. Nam verè anno illo sæculi euntis trigésimo sexto nec dum in Religionē perpetuam Socij consenserant; nec Apostolicæ auctoritatis robur accesserat: vnde Religionis firmitas, & quasi vita pendet. Quæ cum essent futura, nemo negabit potuisse à Caietano prædici. Nec sanè nobis posset non & iucundum & perhonorificum esse talis quoque viri de approbatione diuina nostri Ordinis testimonium. Sed illud disputatur, sit nec ne verisimile à Caietano talia prænunciata, ut Ignatium petentem in eius cœtum admitti, dehortaretur. Quòd ab omni similitudine veri alienum ostenditur, cum cœtum iam suum Ignatius non solum magnificè inchoatum, sed propè absolutum haberet, quemadmodum prosperrimus cœptarum rerum cursus pollicebatur, & multò magis præsentio iam pridem (ut argumentamur) hausta diuinitus. Quam ille præsentionem non penitus, ut ostensum est, clam habuit, sed minimè venditavit; quia verè id, quòd appellatur ab Orlandino, diuinorum munerum sagacissimus erat occultator. Nam alioqui quantum cælestium luminum sanctæ modio humi-

litatis absconderit, satis indicarunt voces ac vota Confessarij eius Jacobi Eguia: qui vetitus ab Ignatio, quæ de eo audiuerat, dum idem viueret, aperire, in admirationem omnes rapiebat, significans, quæ esset euulgaturus, si vel paululum ei superfuisset. Ostendit apertius chirographum ipsius Ignatij post eius finem repertum, in quo sanctissimus Pater sensus cælestes, & oblata sibi per quadraginta dumtaxat dies lumina adnotarat. Quem libellum ideò videtur Deus confici seruarique voluisse, vt inde coniectura de reliquo tempore peteretur.

Minime verò mira debet videri, & huic aduersaria disputationi illa ad Societatem stabilendam perficiendamque lenis ac lenta progressio, habitæque consultationes, perinde ac si tum primùm consilia in mentem venirent. Etenim solenne est Dei famulis, quæ Numinis præceperunt instinctu, sic administrare, tanquam oblati in re præsentiori consilijs vterentur: nec ferè prænatio nobilior facit, vt humanam prætermittant industriam. Ita Paulus destinatus à Deo Gentium Doctor, Euangelium, quod nec ab homine, nec per hominem acceperat, tamen cum primarijs Apostolorum contulit. Ita Samuel poscentibus Iudæis Regem daturus, cum iam priuatim inunxisset Saulem, conuocauit populum, & permisit rem fortibus, & fortes ita Deus temperauit, vt idem Saul eligeretur. Similiter ergo Beatus Ignatius, quæ habebat ex afflatu superno mente præcognita, per mollissimas vias, quas prouidentia diuina subinde pandebat, sensim deducebat in opus, vt si sub manum consilia nascerentur. Ex his omnibus satis, opinor, constat, fieri non potuisse, vt Ignatius cum iam suam haberet infixam in animo condendæ familiæ speciem, in aliam haud parum diuersam neque solus, neque cum socijs ita vellet transire, vt penitus desereret suam. Quod si probabile quid dicendum sit, illud potius dicitur, quoniam in recenti illo religiosissimorum Clericorum Sodalitio non pauca cernebat, quæ cum forma sua congruerent, id tum fortasse actum, vt vnus quidam tertius Ordo viris institutisque permixtis, componeretur. Quod mox magis illustrabitur, cum pauca de ea ratione dixerò, qua tota funditus euerit videtur Castaldi narratio, dum per id tempus ostenditur nequaquam Venetijs Caietanum, sed Neapoli fuisse. Nam quod idem in defensione respondet, fieri potuisse, vt per idem tempus Venetias Caietanus excurreret, tamen aliquid est, tamen parum est, vbi pro certa narratur Historia. Minime enim tollit, quin tota narratio, nisi ruat, saltem nutet, vt instabili nixa fundamento. Nam sicut fieri potuit, vt iret, ita vt non iret. Quin etiam de commemoratione Neapolitana constat, de Veneta excursionem non constat: solùm coniectura ducitur ex hoc facto, quod est in quæstione; quod est alioqui tale, vt ex eo ipsa profectio negari probabilius, quàm affirmari queat. Nihil igitur illud factum profectioem adstruit, sed potius destruit. Nam vbi infirma imponuntur infirmis, vtraque citius collabuntur. Mihi verò propius ad fidem in omnes partes videtur, iter nullum fuisse. Nam sancti viri, & in publicas utilitates magnopere occupati longa itinera non sine magnis causis suscipiunt. Magnæ porro causa sunt magna negotia. Hæc autem Caietanus vel pro re Christiana publica, vel pro priuata sui Ordinis suscepisset. Si primum, qui lateret? Nam magna negotia, & publica, vt cum geruntur, ad multorum emanant notitiam, ita cum gesta sunt, ad posterorum perseverant memoriam. Alterum qui opus erat, cum propediem generalis conuentus esset habendus Romæ? Qui etiam lateret, cum insigniorum virorum res, & multò magis Religiosi Ordinis Conditorum, non studiosè tantùm, sed & religiosè obseruentur, & asseruentur? Ita ne fieri credibile est potuisse, vt vir sanctus, idemque sacrae parentis familiæ vtrò citroque nobilissimis ex vrbibus longinqua peregrinatione commearit, & nulla vsquam itus, nulla reditus vestigia extente: nulla in priuatis, nulla in publicis siue commentarijs, siue epistolis (quas tamen multas intercedere talibus in vsibus necesse est) argumenta supersint? Sed, inquires, hæc si ita sunt, vnde nam Castaldi narratio? Id iam, alterum è duobus initio propositis, caput aggrediens, breuiter explicabo, & nisi magnopere fallor, proximè ad veritatem.

Certum est egisse Venetijs Ignatium familiariter cum Ioanne Petro Caraffa, crediderim & cum alijs eius sanctæ domus Patribus. Nam & verum est, pares cum paribus; & verisimile est Ignatium, qui nouam ordiebatur disciplinam, recentis

centis illius, sicut & veterum, instituta non indiligenter voluisse cognoscere. Nam, tametsi præcipua quæque diuinitus, vti est satis confirmatum, acceperat, ad expolitionem tamen ac perfectionem operis humanam adhibebat curam. Atque equidem tum contractam existimarim familiarem quamdam caritatem, & mutuam fiduciam, quæ diu postea viguit, inter sancti Nicolai Patres, atque Pataunos itemque Romanos nostros. Namque anno sæculi eius quadragesimo septimo cum Patres illi domicilium Romæ optarent, ad Ignatij auxilium confugerunt. Quibus Beatus Pater non modò omnem suam spondit industriam, sed & eos domum inuitauit, vt ipsi præsentem rem suam pro arbitratu melius administrarent: ac vicissim in Collegij Patauini negotio iidem Patres adfuerunt Societati. Ceterùm non familiarem modò vsum Beato Patri cum Caraffa, sed & aliquod dissidium intercessisse item est planè testatum. De qua re Polancus hæc ad verbum in litteras misit: Hæc etiam inter alios cum D. Ioanne Petro Caraffa familiariter egit aliquando, & de rebus quibusdam ad nouum Ordinem illum pertinentibus eum, ex caritate prudenter admonuerat. (Vide quantum aberat, vt recipi se postulare.) Sed non admodum libenter, quæ suggestit, audita fuerunt. Et quamuis nulli vnquam Ignatius retulit, quæ illi cum prædicto Ioanne Petro Caraffa accidissent; facile tamen ex eius verbis intelligi poterat, non leuis fuisse momenti quidquid illud sit, quod inter illos actum fuit. Et inde ortum habuit, quòd nonnulli suspicabantur, & dicebant ipsum Ioannem Petrum Caraffam postea Cardinalem Theatinum, ac eundem Pontificem Paulum Quartum, non admodum erga Ignatium affectum fuisse, quamuis illum semper, etiam dum Pontifex esset, magno honore prosequeretur. Hæc Ioannes Polancus, quo Ignatij res nemo interiùs nouit, in vita eiusdem, quam scriptam reliquit, prodidit. Nam (vt obiter hoc dicatur, quòd & Castaldus non illibenter audiet, qui mirari videtur tradita ab alijs Ignatij miracula, quæ Ribadeneira prætermisisset) nescio quæ mens incidit Ribadeneira, vt multa eius generis præteriret, quamuis ab idoneis testibus accepisset: quòd grauissimis quibusdam eius ætatis Patribus probari non potuit, minimeque Polanco. Ea que causa tum eidem Polanco fuit colligendarum plenius Ignatij rerum, tum Euerardo Præposito curandi, vt à Ioanne Petro Maffeo eadem maximè, quas Polancus collegerat, ederentur. Itaque non ideò miracula Ignatij prætermisit primò Ribadeneira, quòd nulla audisset, sed nimia quadam religione, vt ipsemet in contractiore postea vita confessus est. Sed ad propositum reuertamur. Vtrum Caietanus Venetijs adfuerit, quo tempore cum Caraffa Ignatium egisse & dissenisse diximus, minime liquet; ac potius abfuisse conclusimus. Illam verò disensionem simile vero est in forma Religiosæ disciplinæ extitisse, præferente suam formam Caraffa, Ignatio suam. Ignatius quidem ex eo tempore suis exceptis moram à Caraffa vehementer timuit: & Caraffa semper creditus est voluisse ex gemina hac familia vnã confici. Et cum alia quædam in Societate desiderabat, tum semper ostendit minimè ferendum, vt communis psalmodiæ cantibus abstineret. Hoc itaque caput est, vnde Castaldi commemoratio quasi tela retexitur. Volebat Caraffa nostros Theatinis adiungi, volebat eosdem chorum assumere. Repugnabat Ignatius, quòd aliud in Manresano secessu contemplatus erat, sibi que imitandum putabat exemplum. Caietanus siue tum Venetijs, siue postea (nam ea controuersia diu mansit) cum Ignatio sentiebat, non esse Dei Ecclesiam nouo Ordine spoliandam: non esse Religiones omnes in vnum eundemque habitum modumque redigendas: præstare, vt Societas expedita choro, tota proximorum vtilitatibus dies ac noctes vacaret. Quæ cum audirent iuniores, nec interiora distinctè nossent, & obscuriùs, quæ confusè acceperant, vti fit, traderent, alia alijs aduentibus, sensim sine sensu fabula adoleuit ea, quam tandem bona fide in lucem Castaldus emisit. Nam nemini peritiorum, qui obseruarit quàm facile, & quibus de causis sermones degenerent, & nouas facies induant, & paulatim monstra, nemine sentiente, fingantur, difficile erit credere ex eo, quòd Beatus Caietanus aiebat præstare, vt Ignatius nouam Religionem, eamque actuosiore conderet, cum ignorarent causam, quare hoc diceret, suspicatos homines ideò dixisse, quòd ille vellet ad eius numerum aggregari. Nimirum fert hoc humanæ mos imbecillitatis. Mirum, an potius miserum est, quàm facile id, quòd non illigatum est litteris, elabatur

batur & fugiat; & hinc acquirens non sua membra, inde sua deperdens, instar Protei commutetur. Miserum est, quàm facile quædam excidant è memoria, & alia per sese affingat ingenium, quæ tamen is, qui narret, nihil mutata sentiat, & prorsus genuina iudicet. Hoc igitur modo, quod Castaldus de Beato Ignatio prodidit, simpliciter, & sine fraude, uti acceperat, enarratum decet existimare; quod tamen diligenter inspectum atque excussum quantum habeat constantiæ atque soliditatis, æquo lectori iudicandum ex dictis relinquitur.



Cuius sit auctoritatis, quod in B. Caietani Thienæi vita de B. Ignatio traditur.



IOANNES Baptista Castaldus Clericus Regularis è venerabili Ordine, quem Theatinorum vocant, in Beati Caietani Thienæi vita non multis ab hinc annis prodidit Beatum Ignatium Societatis nostræ Parentem anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto, Venetijs dum socios Lutetia præstolaretur, à Beato Caietano Theatinorum præcipuo conditore instituisse, vt in illum se Ordinem reciperet. Sed Caietanum, postquam consulisset precibus Deum, sine dubitatione respondisse, è maiore Dei gloria fore, si nouam ipse condidisset familiam, actuosiore, quæ totam se in auxilia proximorum impenderet. Ea narratio cum planè noua & inopinata post tot annos, tamque multos rerum eiusmodi scriptores accidisset, quid ego de ea sentirem, quandoquidem omnem à primis incunabilis ad hanc vsque diem Societatis nostræ memoriam cum attentione curaque scrutatus essem, multi ex me sæpius quæsuerunt. Quibus ita respondi, vt sibi non mediocriter satisfactum declararent. Nihil tamen existimabam scripto vulgandum, confidens in Historia Societatis adeò coherentem seriem vitæ Beati Patris, adeoque plenè & clarè descriptam esse, vt veritas inde per sese sine styli ope elucere posset. Iam verò, vt hoc etiam loco sententiam explicem meam, postulat ex me veritatis eiusdem sanctitas, cui patrociniū pro sua quisque virili omnes debemus. Nam de auctoritate eius Historiæ ita iam non sermone modò, sed editis quoque pro vtraque parte commentarijs disceptatur, periculum vt sit, ne, dum ad firmandam vnius, vel infirmandam nouæ auditionis fidem, argumenta ex coniecturis petuntur, multarum auctoritas historiarum veterum, quas omnino certas immotasque esse par est, pariter conuellatur. Ad hæc opus Patris Orlandini cum ipse, auctore præmortuo, recognouerim, ratio officij postulat, tum vt eius fidem curamque, tum vt meam vindicem: ne mirum cuiquam aut suspiciosum videatur, quòd illius facti muta prorsus memoria apud nos, altumque silentium vbique in nostris sit monumentis.

Porro, quanquam de cætero tenuitatem meam neque ignoro, neque inficior, tamen in hac controuersia videor mihi posse haud temere profiteri satis me idoneum censei testem debere. Agitur enim de re, quæ maximè antiquis è codicibus & schedis pendet, in quibus per annos plus quindecim diligentia, quanta maxima non illaborioso homini fas fuit, assidue versatus sum: & nactus sum tabularium sanè quàm luculentum, iisque potissimùm instructum litteris, quibus Societatis, & Beati Patris initia fideliter & copiosè explicata conseruantur. Quòd si, quæ dixerò, eo accipientur animo, quo ex me proficiuntur, fiet spero, quod maximè optabile est, vt vtraque disceptantium inter se partium vicissè se putet, quia veritas, pro qua vtraque dimicat, superabit.

Nec verò quam illibatam mihi velim, vllò modo delibari Castaldo siue in inquirendo sagacitatem, siue in explicando fidem. Itaque pro certo ponatur, quæ ille prodidit, ea nequaquam ex ingenio commentum esse. Non enim indiget Deus ad Beatorum gloriam figmentis humanis, nec fraus modica censeretur talia mendaciter fabulari. Arcet igitur cum rei grauitas, tum viri virtus atque professio omnem ab eo architectatæ vltro fabulæ suspicionem. Ac ne illud quidem simile vero est, eam rem à quopiam accepisse, qui prudens eam sciensque fallendi studio consarcinavit. Nam nec facillè apparet, quid cuiquam venire in mentem potuerit, quare comminiscendum id sibi rumoris existimaret: & scriptoris est accusari non rerum modò pondus examinare, sed auctorum quoque grauitatem ponderare. His positus duo mihi præstanda video. Primùm expendendum, illa Castaldi

narratio quanta fide digna sit: Deinde inuestigandum vnde nam orta opinio in eam speciem sensim coaluerit.

Principio igitur, certum omnino indubitatumque habendum censeo, nequaquam ita voluisse Beatum Ignatium sancti Nicolai Religiosis adiungi, vt suos quos Parisijs expectabat, socios desertos vellet. Quod vt planissime intelligatur, satis est memoria repetere, & cogitationi subijcere quis Ignatius, & qui status rerum eius esset eo tempore. Sunt enim hominum quidam gnauis magis, iisdemque tractabiles ad exequenda, quae doceantur, accommodati: alij vero solertes & acres ad excogitandas tradendasque rerum agendarum vias siue ingenio atque natura, siue diuinitus quasi facti. Ex hoc erat genere Ignatius, plenus considerationis atque consilij: continenter obseruans, & prudentissime notans itinera ad Christianam perfectionem. Est hoc manifestum ex eo, quod nunquam discipulus, statim magister diuina manu formatus, initijs & progressionibus suis sagaciter obseruatis, & in praecipua quaedam relatis, quae spiritualia Exercitia nuncupauit, protinus instituit ex ijs quemcumque capacem deprehenderet, erudire. Et postea Societatem editurus plane nouam regulam excogitauit, tamque multis atque aptis munitam legibus condidit. Eiusdem cum aliae virtutes, tum constantia fuit propere mirabilis. Itaque cum a principio statuisset, quo Dei gloriae cumulatius inferuiret, praesidia sibi doctrinae, & sociorum auxilia comparare, in vtramque rem tamdiu, tamque perseueranter incubuit, vt supra non modo vires, sed etiam prudentiam humanam cuius recte consideranti, necesse sit videri; & planum fiat, diuina quadam & sapientia & virtute ductum simul atque corroboratum fuisse. Is cum esset Ignatius & natura, & institutione diuina, qua tempestate Castaldus dicit voluisse ad Beatum Caietanum accedere, nequaquam in primordijs versabatur suae ad Deum conuersionis, cum degenda vitae consilia capiuntur; sed iam sextus decimus agebatur annus, ex quo totum se ad perfectam virtutis exercitationem contulerat. Annum autem agebat aetatis sextum & quadragesimum. Sexdecim vero illos annos ita in suae perfectionis conatu pegerat, vt simul ad excolendos alios omni ope conueneret: atque ob eam rem in doctrinarum studijs, & adiutorum conuisione longissimum illud tot annorum spatium posuisset. Sub initia quidem incidit cogitatio in Religiosorum aliquem sese Ordinem immittendi, sed laxioris disciplinae atque collapsae, vt restitueret. Iam tum enim ad magistrum vocabatur. Sed breui cogitationem illam deposuit, sua ratus consilia quam plurimos adiuuandi, facilius processura, si socios sibi integros, quorumque mores nullam in partem induruisent, quos ad suam voluntatem fingeret, conuicisset. Quod simul atque decreuit, continuo aliquos in Hispania sibi conciliauit; itaque habebat addictos, vt vestium quoque eodem omnes habitu vterentur: alios deinde, atque alios Parisijs ferè per octennium, quod in studijs ibi consumpsit, aggregauit: ex quibus tandem lectissimam manum, cum ad vouendam Deo paupertatem, & peregrinationem Hierosolymitanam, & ad Euangelium praedicandum, & suam operam Summo Pontifici dedicandam compulisset: eosque summa solertia, ac diuturnis laboribus continuisset, prouexisset, confirmasset; iamque votorum exequendorum causa ad omnia derelinquenda, & periculosissimum atque difficillimum iter suscipiendum induxisset, eos data fide Venetijs opperiebatur, cum dicit Castaldus egisse cum Caietano, vt Theatinum fieri se pateretur. Quis autem credat cadere in constantis animi virum potuisse, vt praestantissimos iuuenes pietate iuxta & doctrina, & ingenijs, & industria, & caritate inter se miros, quos tanto labore sibi conciliauerat, tantaque felicitate per annos multos excoluerat, cum quibus denique societatem quamdam communibus sancitam votis inierat; post tot eorum labores in studijs, post abdicatas facultates, & maximarum abruptas spes dignitatum, ita repente infalutatos, & penè proditos relinqueret? Esset profecto hoc suspicari non modo de Ignatio, sed mediocri quouis homine ab omni ratione prorsus alienum. Constat praeterea eo ipso tempore Ignatium, dum Parisienses socios Venetijs expectat, nouis ibidem venandis sedulo instituisse: Stephanumque & Iacobum Eguias, itemque Hozium sibi adiunxisse. Nunquid igitur veteres, adeoque perfectos & eximios abiiceret, dum conquirat novos? Num in alienam sese abdere familiam

liam moliretur, dum amplificandæ sic studet suæ: Refugit hoc cogitare sana mens: & R. D. Castaldus in epistola, qua narrationem suam defendit, non obscure fateatur absurdum esse: & ait fortasse Ignatium vnâ cum socijs ad Caietanum se confetere voluisse.

Hoc verò aliquanto minùs à probabilitate abest, tamen & ipsum abest longissimè. Nam vel postulare, vel apud animum suum statuere Religiosum in Ordinem cooptari cum socijs, quorum voluntates ignores, antequam eos consulas, aut admoncas, & in Ordinem ipsdem prorsus ignotum, cuius tandem prudentiæ est? Plerique eorum, & (excepto Ignatio) fortasse omnes (sic enim disertè Lainius scriptum reliquit) nullam dum susceperant illigandi sese Religiosis votis cogitationem. Negotium est tale Religiosa professio, quod quisque per sese consideret, per seque decernat necesse est: de alio quidquid polliceari, temere pollicearis. Quid, si nouum consilium socij improbassent? Num dirempturus erat initam cum eis Societatem Ignatius, & recentibus sodalibus adhæsurus? Num omnia sibi polliceri de voluntatibus eorum poterat? Non, opinor, in re tam graui tantum sibi vnquam assumpsisset. Nam (vt grauius nihil dicatur) id fuisset obsequentissimorum amicorum humanitate parum humaniter ac ciuilitè vti. Temere etiam frustra que assumpsisset de tam multis, tamque diuersarum nationum hominibus. Etenim qui postea diu deliberarunt, nec sine contentione aliqua consenserunt, vt Religiosis votis obstringi se paterentur in disciplinam, quam primam hauserant, cui per multos annos assueuerant, quam rebus cæteris extra vota iam sectabantur, nunquid tum in diuino seruitio crudiores vitæ genere alieno, planeque sibi nouo obligari vellent? Denique quid prohiberet differre postulationem in aduentum eorum, quò grauissima deliberatio communibus exequenda studijs, communibus susciperetur consilijs? Omnia certè ita faciendum prudenti modestoque viro docent fuisse. Nec in expectatione quidquam difficultatis apparet, nisi dubitatio atque formido, ne fortè non consentirent, sibi que præsentibus obstarent. Atqui hæc ipsa suspicio non solùm egregiè morato, sed etiam prudentissimo viro manum injicere debuisset, & sustinere, ne præfestinaret. Alioquin, idcirco qui properat, ne reuocetur, non præt, sed fugit: certumque habet deserere, quos desperat adducere.

Deinde tametsi non satis alioqui firmum est argumentum, cum quid ideo negatur esse, quòd ab auctore non traditur, à quo tradi deberet; in hac tamen causa, qui verè velit existimare, planè firmum censerebit. Nam initia Societatis, resque Venetij à Beato Patre gestas socij eius Lainius, & Simon Rodericus in commentarijs retulerunt: nec pauca notauit Faber. Ad hæc ipsemet Beatus Pater biennio antequam migraret è vita, Patrum flagitatu adactus, meditatè & accuratè exposuit Ludouico Consaluo. Præterea qui familiariter cum Beato Patre agebant, nullam prætermittebant occasionem aliquid explicandi ex his, quæ factò illo in pectore condebantur: & quidquid ex ore sancti Patris excideret, studiosissimè colligebant, & litteris consignabant, & in familiari congressu, atque etiam in sermonibus publicis inter domesticas exhortationes per Societatem spargebāt. Quod præter cæteros, tres viri religione simul & prudentia sine dubitatione maximi, is, quem dixi Consaluius, Hieronymus Natalis, & Ioannes Polancus diligentissimè præstiterunt, vt nihil de Petro Ribadeneira dicam. Et tamen nulla vsquam mentio inuenitur obiecta Ignatio eius cogitationis, nullà vocis Caietani, qui dixerit, præstabilius fore, & gloriosius Deo, si nouam familiam condidisset. Quod certè non erat cur Beatus Pater silentio premeret, cum id non tantum ad eius laudem, quam ad excitandos & confirmandos Socios pertineret. Hæc ita cum sint, rebus vndique circumspectis, omnino certum mihi videtur, si, quòd tradit Castaldus, re ipsa accidisset, nequaquam futurum fuisse siue vt Ignatius tam longo tempore, totque occasionibus oblatis nunquam expromeret; siue vt, si is aliquando prompsisset, inter tot obseruantes nemo exciperet, adeò vt ne tenue quidem eius vestigium cuncta in Societate siue in senum memoria, siue in membranis, minùs vti que obliuiosis, resideret. Quæ ratio cum satis per se valida sit, rationibus tamen adiuncta, quas paulò antè ex ipsa re sumpsimus, nullum mea quidem sententia dubitandi locum relinquit.

Hæc verò omnia ex eo magnopere confirmantur, quòd iam pridem genus disciplinae haud modicè diuersum B. Pater meditabatur; & inde vsque à Manresano secessu collustrata diuinitus mente Societatis speciem comprehenderat. Quod ipsemet postea, quanquam de cætero sagacissimus diuinorum munerum occultator, satis ostendit. Nam & Lainio asserenti Religiosorum Ordinum Fundatoribus præcipua quæque ad eos spectantia à Deo demonstrari, affirmatè assensit: & Ludouico Confaluo, cum inter se de propria Societatis institutorum ratione differerent, sic singulorum causas exposuit, vt ad extremum summam omnium in Manresanum secessum conferret. Quod non semel factum, sed vsitatum fuisse B. Patri Natalis in suis ad Constitutiones Scholijs narrat his verbis: Cum de instituti ratione roicaretur, solebat causam referre ad eximiam illam mentis illustrationem, quam ipsi Deus gratificatus est Manresæ, quasi illic omnia accepisset à Domino, quasi in spiritu quodam sapientiæ architectonico. Quibus ex Historijs extra omnem controuersiam positis, ratio talis efficitur. Confitetur Ignatius, quæ ad Religionum naturam pertinent, ea Fundatores à Deo prædiscere; igitur & se prædicasse ab eodem fatetur. Atqui suorum institutorum rationes in Manresanum refert secessum, igitur multò antè, hoc est annis ferè quindecim, quàm regulares S. Nicolai Clericos cognouisset, diuinitus instituta illa didicerat. Cui rationi nihil equidè opponi posse video, nisi quis subtiliter cauilletur, quoddam Societatis rudimentum, non ipsam Societatem, nec Religiosi Ordinis condendi consilium eo tempore Ignatij menti infudisse: at illud certè euidenter concluditur, iam tum prima illius semina, & præcipua instituta, ad quæ & sibi & socijs, quos colligeret, vitam accomodandam duceret, animo comprehensa habuisse. Ea verò erant, quæ meditationibus duabus Exercitationum spiritualium, quarum alteri de regno Christi, alteri de duobus vexillis est titulus, continentur. Ex his enim Societas procreata est, easque in eodem conditas Manresano secessu constat. Summa autem illa erat, quam conceptis votis ad Parisios explicarunt in Monte Martyrum, In proximorum adiumenta cunctis opibus incumbere: Militare Christo: Regnum eius amplificare etiam inter Barbaros, ac nominatim in Palestina: Summo Pontifici in hoc opus operam dicare suam, & ab eius nutu pendere. Vnde Missiones, quas vocamus, vnde quartum Professorum votum, & ipsa demum, prout ab alijs Ordinibus differt, Societas efflorescit. Hæc igitur forma tot annos Ignatij menti cum inhaesisset, ex eaque vitam suam instituisset, ad eandem socios conformasset, & votorum nexibus constrinxisset, denique ipsis quoque iam felicibus experimentis eandem approbari videret; atque ex altera parte in ijs S. Nicolai Patribus contraria videret omnia; siquidem in ijs, vt Castaldus ait, solitudinis vigeat amor; quis credat eam formam ita repente abolitam & commutatam, vt in aliam faciem tota transfiguraretur? vt, qui modò vniuersum orbem terrarum excursionibus obeundis caritate complexus erat, angustis iam se septis includeret: & qui expeditus præstò esse voluerat ad omnes Pontificum nutus, iam odao, quod Patribus iisdem semper antiquissimum fuit, mallet affigi? Non ita profectò est: sed adeò sensibus, imisque fixam, vt ita dicam, medullis Societatem gerebat, vt & ipsum nomen iam promptum haberet. Itaque anno proximo cum Venetijs digrederentur, inter omnes Socios, Ignatio auctore, conuenit, vt quærentibus quod genus hominum essent, responderent de Societate Iesu se esse. Quod nomen ita postea idem dilexit semper ac propugnauit, vt nemini Patrum veterum dubium fuerit, quin præstantiore illud, quàm humano sensu legisset. Cum autem iam ante oblatum appropinquanti ad Urbem visum, vt modò diximus, illud placuisset, haud temere conijcitur, quemadmodum totam Societatis fabricam, ita nomen ipsum è Manresanis luminibus deportatum.

Sed & aliquid dicamus de Exercitationibus spiritus. Ex illis quantus quantus fuit, totus processit Ignatius. Per eas conuocauit socios, & Societatem institutis & moribus temperauit. Easdem Societati, vt telum diuinæ laudis acerrimum commendatas reliquit. Eas inter summa votorum cupijt Apostolica auctoritate comprobatas videre, & vidit. Per eas magnopere apud omnes, & apud præstantissima quæque ingenia maximè profecit. Et hoc ipso tempore, quo dicitur voluisse Theatinis adnumerari, per easdem & Socios tres, quos supra diximus,

mus,

mus, aggregavit sibi, & alijs excolendis studiosissimè insistebat. Denique bone lector (si quem cognoscenda penitus huius causa cura tangit) quaeso, perlege in Historijs nostris quam indidem Venetijs huius ipsius, de quo disputamus, temporis tractu ad Confessarium olim suum de illis scripsit epistolam; & animadverte quo loco eas apud animum suum haberet. Quare igitur, eas præceptiones earumque usum secum inuehere cogitabat novum in Ordinem, an deserere & abdicare paratus erat? Enimvero ut deserere vellet, cadere nequit in cogitationem hominis sapientis. Quid enim certius exploratiusque B. Patri divinae gloriae studiosissimo venatori, quam illas esse efficacissimas tanti operis administras, & caelesti sibi lumine demonstratas? Neque alterum dici potest. Nam Religiosi petitor Ordinis in primis necesse est nequaquam sit addictus opinionibus & moribus suis. Quippe docendus, non docturus accedit. Aliter, suam perdet, alienam turbabit tranquillitatem. Nihil odiosius novatore, eoque aduentitio. Atqui quocunque Beatus Pater cum Exercitijs suis accederet, non discipulus, sed magister adiret. Vno verbo: ubicunque Ignatius cum illo esset libello, ibi Societas Iesu esset. Quòd si certum atque perspicuum videtur, neque cum illis, neque sine illis Exercitationibus potuisse alienam suscipere disciplinam, consequens aperte est de ea suscipienda nunquam egisse.

Ad hæc potissima argumenta accedit prædictio edita Petro Quadrato in Belgis, Collegij olim seu domicilij Societatis ab eo Methymnae condendi. Cui prædictioni, cum auctoribus multis prodatur, videat quam iuste abroget fidem, qui sibi postulet. Ribadeneira quidem in Vita Ignatij breviori eam posuit, & tamen iuratus asseruit nihil se scire, siue in eo, siue in alijs suis de Ignatio libris falsum inesse. Adde, quòd Ignatij ea tempestate sanctitas, & vitæ actio eiusmodi erat, ut sagaciores homines quid effecturus esset, & animo præviderent, & voce prædicarent. Nam inter eas ipsas excursiones, quas ad colligendam à mercatoribus stipem primis annis Lutetianæ commorationis obibat, Brugas cum aliquando venisset, vocatus est ad conuiuium à Ludouico Viue homine claræ eruditionis ac famæ. Postque conuiuium Viues de eo sodalibus, sanctum hominem esse dixit, & Religiosum quempiam Ordinem haud dubiè conditurum. Quod aliqui mox auditorum ipsi Ignatio retulerunt; & ab Ignatio certa causa proditum Ioannes Polancus scriptum reliquit. Cui ergo mirum videatur id Ignatium de Quadrato Dei monitu prædixisse, quòd Viues de Ignatio ipso sola, ut reor, coniectura est assecutus? Dubitemus autem utrum auctor multis post annis, cum esset Venetijs, Religione iam propè condita, de condenda cogitaret, cum homines aliarum magis, quam piarum rerum intelligentes tam multis antè annis condendam præfagirent. Solebat Bobadilla assumptæ in caelum Deiparæ diem Natalem vocare Societatis, quòd eo primùm die in Monte Martyrum primi Socij prima vota suscepissent. Quod quanquam, (ut supra est demonstratum) si sociorum animi spectentur, qui de perpetua in posteros transmittenda familia nihil dum cogitabant, piè magis, quam exactè dicitur; tamen, quòd ad Ignatium pertinet, procul dubio magnum eo die fundamentum iecit operis, quòd iam diu moliebatur.

Nec verò hæc eò disputantur, quòd condendam Societatem prævidere Caietanus nequiverit, tanquam iam condita esset. Nam verè anno illo sæculi euntis trigesimo sexto nec dum in Religionè perpetuam Socij consenserant, nec Apostolicæ auctoritatis robur accesserat: vnde Religionis firmitas, & quasi vita pendet. Quæ cum essent futura, nemo negabit potuisse à Caietano prædici. Nec sanè nobis posset non & iucundum & perhonorificum esse talis quoque viri de approbatione diuina nostri Ordinis testimonium. Sed illud disputatur, sit nec ne verisimile à Caietano talia prænunciata, ut Ignatium petentem in eius cœtum admitti, dehortaretur. Quòd ab omni similitudine veri alienum ostenditur, cum cœtum iam suum Ignatius non solum magnificè inchoatum, sed propè absolutum haberet, quemadmodum prosperrimus cœptarum rerum cursus pollicebatur, & multò magis præfensio iam pridem (ut argumentamur) hausta diuinitus. Quam ille præfensionem non penitus, ut ostensum est, clam habuit, sed minimè venditavit; quia verè id, quòd appellatur ab Orlandino, diuinorum munerum sagacissimus erat occultator. Nam alioqui quantum caelestium luminum sanctæ modio humi-

litatis absconderit, satis indicantur voces ac vota Confessarij eius Iacobi Eguia: qui vetitus ab Ignatio, quæ de eo audiuerat, dum idem viueret, aperire, in admirationem omnes rapiebat, significans, quæ esset euulgaturus, si vel paululum ei superfuisset. Ostendit apertius chirographum ipsius Ignatij post eius finem repertum, in quo sanctissimus Pater sensus cælestes, & oblata sibi per quadraginta dumtaxat dies lumina adnotarat. Quem libellum ideò videtur Deus confici seruarique voluisse, vt inde coniectura de reliquo tempore peteretur.

Minime verò mira debet videri, & huic aduersaria disputationi illa ad Societatem stabilendam perficiendamque lenis ac lenta progressio, habitæque consultationes, perinde ac si tum primùm consilia in mentem venirent. Etenim solenne est Dei famulis, quæ Numinis præceperunt instinctu, sic administrare, tanquam oblati in re præsentis consilijs vterentur: nec ferè prænotio nobilior facit, vt humanam prætermittant industriam. Ita Paulus destinatus à Deo Gentium Doctor, Euangelium, quod nec ab homine, nec per hominem acceperat, tamen cum primarijs Apostolorum contulit. Ita Samuel poscentibus Iudæis Regem daturus, cum iam priuatim inunxisset Saulem, conuocauit populum, & permisit rem sortibus, & fortes ita Deus temperauit, vt idem Saul eligeretur. Similiter ergo Beatus Ignatius, quæ habebat ex afflatu superno mente præcognita, per mollissimas vias, quas prouidentia diuina subinde paudebat, sensim deducebat in opus, vt si sub manum consilia nascerentur. Ex his omnibus satis, opinor, constat, fieri non potuisse, vt Ignatius cum iam suam haberet infixam in animo condendæ familiæ speciem, in aliam haud parum diuersam neque solus, neque cum socijs ita vellet transire, vt penitus desereret suam. Quòd si probabile quid dicendum sit, illud potius dicetur, quoniam in recenti illo religiosissimorum Clericorum Sodalitio non pauca cernebat, quæ cum forma sua congruerent, id tum fortasse actum, vt vnus quidam tertius Ordo viris institutisque permixtis, componeretur. Quod mox magis illustrabitur, cum pauca de ea ratione dixerò, qua tota funditus eueri videtur Castaldi narratio, dum per id tempus ostenditur nequaquam Venetijs Caietanum, sed Neapoli fuisse. Nam quod idem in defensione respondet, fieri potuisse, vt per idem tempus Venetias Caietanus excurreret, tamen aliquid est, tamen parum est, vbi pro certa narratur Historia. Minimè enim tollit, quin tota narratio, nisi ruat, saltem nutet, vt instabili nixa fundamento. Nam sicut fieri potuit, vt iret, ita vt non iret. Quin etiam de commoratione Neapolitana constat, de Veneta excursionem non constat: solum coniectura ducitur ex hoc facto, quod est in questione; quod est alioqui tale, vt ex eo ipsa profectio negari probabilius, quàm affirmari queat. Nihil igitur illud factum profectioem adtruit, sed potius destruit. Nam vbi infirma imponuntur infirmis, vtraque citius collabuntur. Mihi verò propius ad fidem in omnes partes videtur, iter nullum fuisse. Nam sancti viri, & in publicas vtilitates magnopere occupati longa itinera non sine magnis causis suscipiunt. Magnæ porro causæ sunt magna negotia. Hæc autem Caietanus vel pro re Christiana publica, vel pro priuata sui Ordinis suscepisset. Si primum, qui lateret? Nam magna negotia, & publica, vti cum geruntur, ad multorum emanant notitiam, ita cum gesta sunt, ad posterorum perseverant memoriam. Alterum qui opus erat, cum propediem generalis conuentus esset habendus Romæ? Qui etiam lateret, cum insigniorum virorum res, & multò magis Religiosi Ordinis Conditorum, non studiosè tantum, sed & religiosè obseruentur, & asseruentur? Ita ne fieri credibile est potuisse, vt vir sanctus, idemque sacra parens familiæ vltro citroque nobilissimis ex vrbibus longinqua peregrinatione commearit, & nulla vsquam itus, nulla reditus vestigia extant? nulla in priuatis, nulla in publicis siue commentarijs, siue epistolis (quas tamen multas intercedere talibus in vsibus necesse est) argumenta supersint? Sed, inquires, hæc si ita sunt, vnde nam Castaldi narratio? Id iam, alterum è duobus initio propositis, caput aggrediens, breuiter explicabo, & nisi magnopere fallor, proximè ad veritatem.

Certum est egisse Venetijs Ignatium familiariter cum Ioanne Petro Caraffa, crediderim & cum alijs eius sanctæ domus Patribus. Nam & verum est, pares cum paribus; & verisimile est Ignatium, qui nouam ordiebatur disciplinam, recentis

centis illius, sicut & veterum, instituta non indiligenter voluisse cognoscere. Nam, tamen si præcipua quæque diuinitus, vti est satis confirmatum, acceperat, ad ex-
positionem tamen ac perfectionem operis humanam adhibebat curam. Atque
equidem tum contractam existimarim familiarem quamdam caritatem, & mu-
tuam fiduciam, quæ diu postea viguit, inter sancti Nicolai Patres, atque Pataunos
itemque Romanos nostros. Namque anno sæculi eius quadragesimo septimo cum
Patres illi domicilium Romæ optarent, ad Ignatij auxilium confugerunt. Qui-
bus Beatus Pater non modò omnem suam sponddit industriam, sed & eos do-
mum inuitauit, vt ipsi præsentem rem suam pro arbitratu meliùs administrarent:
ac vicissim in Collegij Patauini negotio ijdem Patres adfuerunt Societati. Cæte-
rùm non familiarem modò vsu Beato Patri cum Caraffa, sed & aliquod dissidium
intercessisse item est planè testatum. De qua re Polancus hæc ad verbum in litte-
ras misit: Hic etiam inter alios cum D. Ioanne Petro Caraffa familiariter egit a-
liquando, & de rebus quibusdam ad nouum Ordinem illum pertinentibus eum
ex caritate prudenter admonuerat. (Vide quantum aberat, vt recipi se postula-
ret.) Sed non admodum libenter, quæ suggestit, audita fuerunt. Et quamuis nulli
vnuquam Ignatius retulit, quæ illi cum prædicto Ioanne Petro Caraffa accidit
fuit; facile tamen ex eius verbis intelligi poterat, non leuis fuisse momenti quid-
quid illud sit, quod inter illos actum fuit. Et inde ortum habuit, quòd nonnulli
suspiciabantur, & dicebant ipsum Ioannem Petrum Caraffam postea Cardinalem
Theatinum, ac eundem Pontificem Paulum Quartum, non admodum erga Igna-
tium affectum fuisse, quamuis illum semper, etiam dum Pontifex esset, magno
honore prosequeretur. Hæc Ioannes Polancus, quo Ignatij res nemo interiùs no-
uit, in vita eiusdem, quam scriptam reliquit, prodidit. Nam (vt obiter hoc dica-
tur, quod & Castaldus non illibenter audiet, qui mirari videtur tradita ab alijs
Ignatij miracula, quæ Ribadeneira prætermisisset) nescio quæ mens incidit Riba-
deneiræ, vt multa eius generis præteriret, quamuis ab idoneis testibus accepif-
set: quod grauissimis quibusdam eius ætatis Patribus probari non potuit, minime-
que Polanco. Eaque causa tum eidem Polanco fuit colligendarum plenius Igna-
tij rerum, tum Euerardo Præposito curandi, vt à Ioanne Petro Maffeo eadem
maximè, quas Polancus collegerat, ederentur. Itaque non ideò miracula Ignatij
prætermisit primò Ribadeneira, quòd nulla audisset, sed nimia quadam religione,
vt ipsemet in contractiore postea vita confessus est. Sed ad propositum reuertamur.
Vtrum Caietanus Venetijs adfuerit, quo tempore cum Caraffa Ignatium
egisse & dissensisse diximus, minimè liquet; ac potius abfuisse conclusimus. Illam
verò dissensionem simile vero est in forma Religiosæ disciplinæ extitisse, præferente
suam formam Caraffa, Ignatio suam. Ignatius quidem ex eo tempore suis cceptis
moram à Caraffa vehementer timuit: & Caraffa semper creditus est voluisse ex ge-
mina hac familia vnã confici. Et cum alia quædam in Societate desiderabat,
tum semper ostendit minimè ferendum, vt communis psalmodiæ cantibus abstin-
neret. Hoc itaque caput est, vnde Castaldi commemoratio quasi tela retexitur.
Volebat Caraffa nostros Theatinis adiungi, volebat eosdem chorum assumere. Re-
pugnabat Ignatius, quòd aliud in Manresano secessu contemplatus erat, sibi que
imitandum putabat exemplum. Caietanus siue tum Venetijs, siue postea (nam ea
controuersia diu mansit) cum Ignatio sentiebat, non esse Dei Ecclesiam nouo Or-
dine spoliandam: non esse Religiones omnes in vnum eundemque habitum mo-
dumque redigendas: præstare, vt Societas expedita choro, tota proximorum utili-
tatibus dies ac noctes vacaret. Quæ cum audirent iuniores, nec interiora distin-
ctè nossent, & obscuriùs, quæ confusè acceperant, vt fit, traderent, alia alijs ad-
dentibus, sensim sine sensu fabula adoleuit ea, quam tandem bona fide in lucem
Castaldus emisit. Nam nemini peritiorum, qui obseruarit quàm facile, & quibus
de causis sermones degenerent, & nouas facies induant, & paulatim monstra, ne-
mine sentiente, fingantur, difficile erit credere ex eo, quòd Beatus Caietanus aie-
bat præstare, vt Ignatius nouam Religionem, eamque actiuosorem conderet, cum
ignorarent causam, quare hoc diceret, suspicatos homines ideò dixisse, quòd ille
vellet ad eius numerum aggregari. Nimirum fert hoc humanæ mos imbecillitatis.
Mirum, an potius miserum? est, quàm facile id, quod non illigatum est litteris, ela-
batur

batur & fugiat; & hinc acquirens non sua membra, inde sua deperdens, instar Protei commutetur. Miserum est, quàm facilè quædam excidant è memoria, & alia per sese affingat ingenium, quæ tamen is, qui narret, nihil mutata sentiat, & prorsus genuina iudicet. Hoc igitur modo, quod Castaldus de Beato Ignatio prodidit, simpliciter, & sine fraude, uti acceperat, enarratum decet existimare; quod tamen diligenter inspectum atque excussum quantum habeat constantiæ atque soliditatis, æquo lectori iudicandum ex dictis relinquitur.

